



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

26. Maji. Impugnaturus hominem dæmon primùm circumspicit, quâ parte debilior, quâve neglectior sit: eò machinas admovet, illic impressionem facit. S. Ignat. apud Bart. I. 4. f. 382.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

omnes, vix ulla extenditur ad interiora.  
Nemo amentius delinquit, quam qui se  
neglecto, curat opinionem sui.

Omne hominis pretium anima, omnis  
hujus decor virtus est, hanc qui non exco-  
lit, turpis est, licet Adonidem formâ supe-  
ret; quæ latent, pretiosiora sunt iis, quæ  
patent.

26. Maji.

*Impugnaturus hominem demon primùm  
circumspicit, quâ parte debilior, quâve  
neglectior sit; eò machinas admovet, il-  
lic impressionem facit. S. Ignat. apud  
Bart. l. 4. f. 382.*

**M**aximum ad vitam bonam compen-  
dium est sui notitia. Sæpe hostem  
persequimur, qui parum nocet; interea ca-  
pitalis, quia latet ignotus, in mala nostra  
tutò grassatur.

Andabatarum more cæcus pugnat, qui,  
quem ferire hostem debeat, non intelligit,  
ictum vibrat incertum certo sui periculo,  
nullo fructu.

Imbellis in nos dæmon esset, nisi foedus  
cum cognatis vitiis iniret; his nos suppe-  
nis expugnat. Huc igitur conatus, huc ar-

ma : Si vitia nostra subigantur, non est, quod orcum metuamus.

Si nos in animæ nostræ lucra ita vigile essemus, ut hostis est in detrimenta, quæ citò, quàmque facilè sancti essemus. Primus huc gradus est, passionum suarum principem & nôsse, & persequi.

27. Maji.

*Qua retrò sunt, quæso, in gratiam Christi obliviscimini, & quasi nunc primum tam longum iter susciperetis, virtutis viam indefesso progressu alacriter metimini. S. Ignat. ep. ad Hisp.*

**U**T friget focus, quem non quotidie ignis accendit, sic pronum est ad naturam redire vitia, nisi quotidiana in domandis insudet diligentia. Sol quotidie cursum inchoat, virtutis quoque seminata novo in dies passu est auspicanda.

Cur negemus animæ, quod tam solerti curâ præstamus corpori? hujus imbecillitatem novo quotidie alimento confortamus; suum etiam illi debetur nutrimentum. Nisi oleum affundas, lumen & flamma deficient.

Quidquid spiritualis thesauri longior cura